

fias. Nihil itaque sine consilio et moderamine facias, donec usu exercitatos habeas sensus et talis sis, qui utramque tui partem, animum uidelicet et corpus, recte moderari noris. Haec breuiter scripserim, propterea quod tamquam paruulus in Christo humiliter a me lacteum poposcisti potum. Vale in Christo Jesu et mei memineris in tuis precibus. Nec omittas me patrum et fratrum tuorum orationibus commendare, ut vicissim alius pro alio orantes simul beatitudine donemur aeterna. Raptim ex Egmondensi coenobio ordinis diui Benedicti, pridie nonas Octobris.

Aus dem Cod. Hor. A. p. 32 ff.

### XCH.

**Ioannes Lypsius Bruxellensis Benedictinus Martino L. B. S.**

Abhinc aliquot mensibus, nepos charissime, respondi tuis, quas tunc ad me dederas, literis, quae profecto mihi erant gratissimae. Verum miror, quod interim, nec qui valeas nec qui tibi tuae vitae ratio succedat, adhaec an iam religionis vota emiseris et temetipsum ac tua deo obtuleris, indicasti. Fac breui certus sim de omnibus. Praedictas vero literas ad te misi per Cornelium Gosium Hagiensem, qui, ni fallor, studiorum gratia inter scholasticos Martinensis collegii uiuit. Si nondum eas accepisti, liberum tibi est, ab ipso sciscitari, cur non dederit tibi. Caeterum multiplicare exhortationes et spirituales admonitiones iam utcumque adulto ac in religionis harena (haud dubium) multipliciter exercitato superuacaneum existimauerim ob id potissimum, quod affatim sanctorum habeas scripta virorum et quotidianas superiorum ac praeceptorum tuorum instructiones audias, quorum pro viribus obtemperare monitis et consiliis iter est ad perfectionem et salutem aeternam. Oro, assidua cogitatione pertracta, cur religionem intrasti, nec accipias in vanum animam tuam, sed tolle illam indesinenter in manibus tuis et considera, quantum in sanctae religionis vinea promoveas quantumue deficias. Ita fiat<sup>1</sup> opitulante Christi gratia, ut conuersatio tua deo accepta sit et hominibus et fructus reddas optimos, quibus et dii laetificentur et homines.

<sup>1</sup> fia (Lücke für einen Buchstaben).